



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

Reverendissimo Et Perillvstri Domino, D. Ioanni Henrico Anethan, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**



REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,

**D. IOANNI HENRICO  
ANETHAN,**

Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopo  
Hierapolitano, Seren.<sup>mi</sup> & Rev.<sup>mi</sup> Principis ac Domini **MAXIMI-  
LIANI HENRICI**, Archi-Episcopi ac Principis Electoris Co-  
loniensis, &c. Vtriusque Baviaræ Ducis &c. Suffraganeo Vicario  
in Pontificalibus ac Spiritualibus Generali, Consilii Ecclesiastici Præ-  
sidi &c. Metropolitanæ Electoralis Colonensis & Liberæ Imperia-  
lis Collegiæ Goslariensis respectivè Præposito, Canonico Presby-  
tero Capitulari, Toparchæ in Densborn, &c. Domino  
Patrono ac Mæcenati observandissimo.

**REVERENDISSIME ET PERILLVSTRIS  
DOMINE,**



*Ullam thesauri in-visi utilitatem esse ostendit sapientissimus  
Syracides, dum in aureo suo Ecclesiastico cap. 41. v. 17. sic  
loquitur: Sapientia abscondita & thesaurus invisus;  
quæ utilitas in utrisque? Quapropter ne in-visus esset,  
sed in laudatissima nostra Germania magnos utilitatis fru-  
ctus germinaret. Thesaurus fori Ecclesiastici præstantissimus, totius Ca-*

## DEDICATORIA.

nonici Juris divitias è varijs sacratissimis & probatissimis fontibus haustas & depromptas complectens, olim in Romana Curia à Reverendissimo Domino IOANNE FRANCISCO LEONIS Eporediensi I. V. D. Episcopo Thelesino editus, auctusque ab ejusdem Nepote OCTAVIO LEONIS, pariter I. V. D. & Prothonotario Apostolico, illum prælo meo subjeci, ut ejusdem beneficio publicam lucem aspiceret. Verùm cum solemne sit hujusmodi Thesauris librarijs Patronos ac Tutores etiam Viros Principes querere, juxta illud antiquum ac vulgatum: Diis templa, Principibus libri consecrantur, sub quorum tutela, custodia ac patrocinio contra invidiosos obtrectatores tutarentur; memorato Thesauro Tua insignia, Reverendissime & Perillustri Domine, Tuumque præclarissimum Nomen præfigere volui, ut sub eo securus ac salvus singulorum manibus tereretur, non contereretur. Et profectò si apud prudentissimos celeberrimi omnium scientiarum Athenæi cultores Leo fontis custos dicta fuit area Leonis effigies, super fonte isto, ex quo aqua efferebatur, constituta teste Polluce apud Aldrovand. lib. 2. de crustat. c. 4. quem alium hujus Thesauri à Leone Reverendissimo editi Tutorem, Custodem, & Patronum constituere fas erat, quàm Tuam, Reverendissime & Perillustri Domine, non aream, sed vitam in Gentilitio Tuo Leone firmissimis columnis JUSTITIÆ figuris insidente adumbratam effigiem? Quantus enim hujus Thesauri Tutor, Custos & Patronus existas, ipsemet attestaris, qui à Prænobili, Consultissimo ac Prudentissimo Viro ac Domino trium Archi-Episcoporum Tre-urensum Cancellario, Anethanæ familie splendore, omnium Consiliariorum, in Comitibus Imperialibus Ratisbonensibus anno hujus sæculi quinquagesimo tertio pluribusque sequentibus veluti Oraculo Imperatoribus & Principibus S. R. J. gratissimo & notissimo prognatus adeò Thesaurum hunc dilexisti, tantamque  
ejus

## DEDICATORIA.

*ejus copiam conquisiuisti, inuenisti, tenuisti; ut Viris Principibus annumeratus, de quibus Regius Psaltes inquit: psal. 44. v. 17. Constitues eos Principes super omnem terram, &c. Episcopaliq[ue] sulcitus honore primùm Diœcesin Hildesensem; deinde dulcissimam Tuam Patriam Metropolim & Archi-Diœcesin Treuirensem temporibus hisce exulceratissimis, constantiâ magnâ, robore inuictò, equitate mira, laude rara fortiter ac suaviter moderatus fueris. Hoc suaui & forti moderamine allectus Serenissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus **MAXIMILIANVS HENRICVS**, Archi-Episcopus Elector Coloniensis &c. Vtriusque Baviaræ Dux, &c. motu proprio Te ad Amplissimam suam Archi-Diœcesin Coloniensem accersiuit Suffraganeum Vicarium in Pontificalibus & Spiritualibus Generalem, Metropolitanæ nostræ Electoralis Canonicum Presbyterum Capitularem, que tanquam ocularis testis eximias Tuas nunc celebrat virtutes, egregias animi Tui modestissimi & humanissimi suspicit atque miratur dotes, quas silendo potiùs quàm eloquendo deprædico,*

Nam quid verba valent, si res latis ipsa loquatur.

*Hoc rogo, Thesaurum hunc solita Tua benignitate accipere, Reverendissima & Perillustri auctoritate Tua custodire, protegere ac fo-vere dignare, ut Nominis & Honoris Tui gloria illustratus summam in Ecclesia sancta Dei adferat utilitatem, cujus protectioni Reverendissimam & Perillustrem Dignitatem Tuam cum tota familia pro diutissima prosperitate & incolu-  
mitate commendo, meque totum de-vo-ueo, qui sum*

Reverendissimæ & Perillustri Dignitatis Tuæ

Coloniæ 1682. 6 Februarii.

Humillimus Servus & Cliens

ARNOLDUS METTERNICH.